

16466

N. 221.

DE
TEMPERAMENTIS, QUATENUS AD MORBOS GIGNENDOS CONFERUNT.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PATHOLOGICA,

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO

ERUDITORUM EXAMINI OFFERT

AUCTOR

C. CAROLUS ERNESTUS WILHELMUS
CAROLUS ERNESTUS WILHELMUS BLUHM,
Rauamatukeon.
89893

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHUENMANNI,

TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCLXXXVI.



132 : 1

I M P R I M A T U R

haec dissertatio, ea tamen conditione, ut, simulac typis fuerit excusa, quinque ejus exemplaria collegio libris explorandis constituto tradantur.

Dorp. Liv. d. XXVII. m. Aprilis a. 1836.

Dr. P. U. WALTER,
Ord. med. h. t. Decanus.

2

**Poru Riikiku Üliksel
Raamatukogu**

938457

V i r o

doctissimo, celeberrimo, fautori benevolo

Dr. C. de Ledebour

Imperatori Rossiae a consiliis status, Equiti Ordin. St. Annae class. secundae cum corona Imperatoria, Ord. St. Vladimiri cl. tert., Ord. Boruss. rubr. aquilae tert. cl., in univ. caes. lit. Dorp. Botanices P. p. o. emerito, plurimarum societ. doct. sodali

has studiorum primitias

grato animo offert

Auctor.

Homines quamlibet diversissimi secundum corporum fabricam in paucas catervas possunt redigi: refert autem, qua ratione eos contemplerur. In universum quocunque animal corpoream partem offert et dynamicam: illa pars duplici modo oculis profertur, prout aut morphologicè, (*κατὰ μορφὴν*) quoad figuram eam intuemur, ad quem scopum tangendum genus humanum in notas varietates disjungitur; aut homo quoad telas (*καθ' ἴστρον*) in contemplationem trahitur. Elementa corpus animale constituenta eadem sunt in omnibus ejusdem speciei individuis, ea tamen variatione, ut alia aliis praevalent: tali modo aliae propiores partes aliis sunt copiosiores in variis individuis, et diversa adest ratio solidarum partium et fluidarum. Quae variatio missionis quum in vivo corpore immediate cognosci non possit, adest tamen talis relatio, ut externis delineamentis et signis innisi, internam texturam perscrutari

queamus: sic e. g. cutis in toto corpore pallida, frigens, humidula, subtumida, artus teretes, lymphaticum humorem prae sanguine valentem et laxos musculos produunt. Haec autem ratio inter partes solidas et fluidas, vel ratio formam et mistionem spectans, quatenus e superficie corporis oculis percipitur, habitum, quem physiologi nominant, constituit: vocabulum habitus igitur materialem corporis qualitatem denotat. At animal quoad functiones earumque causas, i. e. dynamice, spectaturi, proximam actionum causam nostris cognitionibus investigare nequimus; sed functionum tantum, quae ex hac proxima causa prodeunt, conditiones cognoscere possumus. Ad quod propositum consequendum, Roberto Brunone auctore, rei convenienter quamcunque functionem duorum factorum ratione effectam contemplabimur: altera conditio functionis perpetrandae eo nititur, quod organismus stimulos, vel in ipso, vel extra eum positos, potest recipere; altera conditio eo versatur, quod animal actiones stimulis tangentibus respondentem edit. Illam corporis facultatem, stimulos vel incitamenta percipiendi, receptivitatem physiologi nuncupant, perceptionem eorum sensationem, hanc efficaciam, stimulis perceptis actiones obijciendi, energiam appellant, et effectum energiae reac-

tionem. Receptivitatem et energiam verbo incitabilitatis complectimur; sensatione et reactione efficitur incitatio. Facultas stimulos accipiendi, quum nonnisi a nervis pendeat, a nonnullis etiam sensibilitas nominatur, non plane convenienter, quod sensibilitate a physiologis non sola receptivitas nervorum, sed etiam energia et actio eorum toto in ambitu comprehenditur. Theoria Roberti Brunonis organismi actionibus explicandis sane est commoda; in eo vero minus ipsi est assentiendum, quod dicit, factores incitabilitatis in contraria invicem proportionem versari: crebra enim experimenta edocuerunt, receptivitatem et energiam et in opposita ratione versari posse, et in aequilibrio. Propria vicissitudo dynamica, quae intercedit inter fastigium receptivitatis et energiae, cum in corporea parte, tum in psychica, a physiologis temperamentum, temperies, complexio, nuncupatur (*κράσις* graece, mistionis modus; a verbo *κεράννυμι* misceo) vocabulum a Galeno usurpatum, a temperando, i. e. mikingando, derivatum, imo mistionis et compositionis qualitatem significans, ergo chemicam vim denominationi Galenus imposuit. Recentioribus vero temporibus, ut jam memoratum, dynamica significatione temperamentum contemplari adsueti sunt medici.

Itaque duas corporis inspiciendi rationes novimus: alteram materialem, quae habitum spectat, alteram dynamicam, quae temperamentum, vel complexionem, crasin investigat. Ea vero imago, quae ambabus rationibus conjunctis fingitur, constitutionem corporis, quae dicitur, exhibet. Materialis constructio corporis congruens invenitur viribus et functionibus; hinc elucet, ex habitu inspecto valere conclusionem in crasin, et vice versa e descriptione temperamentis et rationis dynamicæ, imaginem habitus effingi posse. Cuique enim temperamento habitus quidam respondet.

Denominatio temperamentorum fit variis modis. Galenus secundum humores, quos praeponderare in corporibus, et secundum elementa, quae praecipue praeesse functionibus opinabatur, statuebat temperamentum sanguineum vel calido-humidum, sanguine rubro insigne et omnibus elementis aequè permixtis; temperamentum calido-siccum vel cholericum, bile flavâ, igne animatâ, copiosiore; complexionem phlegmaticam, quae ab humoribus aquosis et mucopenderet, quod temperamentum etiam frigidum-humidum vocabat; denique complexionem frigidum-siccam sive melancholicam, atra bile excellentem, partibus terrenis praeponderantibus. Etiam sanguinis natura vulgo fundamentum de-

nominationis est electa, ita ut phlegmatica crasis nuncupetur: das kaltblütige Temperament; temp. sanguineum: das leichtblütige Temp.; temp. melancholicum: das schwerblütige T. Hujus partitionis principium recentiorum temporum experientiam non penitus probandum videtur, quum illae sorores Hungaricae, quamquam sanguinem duabus anastomosibus in abdomine invicem commutantes, diversis tamen uterentur temperamentis, altera phlegmatico, altera sanguineo. Itaque temperamenta potius e solidis partibus corporis emanant, qua experientia edocti, nonnulli secundum fibrarum naturam nomina invenerunt: phlegmaticam crasin laxam appellantes; sanguineam mollem; cholericam firmam; melancholicam rigidam. Neque vero hodie Galeni denominatio ob improbandam theoriam rejicitur, sed eo modo reservatur, ut complexionem dynamicam, vivida receptivitate et labente reagendi facultate effectam, sanguineam esse intelligamus; complexionem vivida receptivitate et forti energia compositam cholericam appellemus. Temperamenta cum hebetate facultate incitamenta recipiendi rursus adsunt duo, quorum alterum, energia egens, nominatur phlegmaticum; alterum, energiae tenax, melancholicum. Alii temperamenta nominaverunt secundum nationes, in

quibus vulgaria inveniuntur, vel olim occurrerant, et secundum modum, quo actiones manifestantur: ideo sanguineum dicitur: Gallicum, Lydicum, mobile; cholericum: Italicum, Atticum, forte; phlegmaticum: Germanicum, Boeoticum, hebes; melancholicum: Anglicum, Romanum, grave.

Divisio, quae potius psychologiam spectat, ab Immanuel Kant est usurpata, qui statuit, esse duo temperamenta sensus, in quibus energia labeat (temp. phlegmaticum et sanguineum) et duo temperamenta actionis, quorum energia vigeat. Sunt, qui methodo quadam empirica plura quam quatuor temperamenta protulerint, quorum quae consentiunt descriptionibus superioribus, mera temperamenta vocantur. Experimentis vero compertum habemus, raras tantum inveniri meras complexiones: itaque inter has aliae statuuntur, quae mixtae dicuntur, sic v. g. temperamentum sanguineo-cholericum, quae vero appellatio non ita est intelligenda, organismum in agendo hoc temporis momento minore, sequenti momento majore energia polere; sed ita est percipienda; organismum magna receptivitate esse praeditum, et reactiones fieri majore vi et intensione, quam in sanguineo temperamento, minore, quam in cholericum. Talia temperamenta mixta et intercalaria in

in genere humano occurrere, negari non potest, qualia quotidie in nonnullis individuis licet observare; sed plus minusve ad unum alterumve merum temperamentum accedunt. Per se intelligitur, uno in corpore phlegmaticam complexionem cum cholericam, sanguineam cum melancholicam inveniri non posse. Metzger tantum duo temp. a se agnosci profitetur, incitabile et tardum; sed defectus hujus divisionis in aprico est, quum dubitandum sit, tarditatem semper cum debilitate esse conjunctam, velocitatem semper cum robore: neque enim activitas cum vi est confundenda. Rudolphi octo temperamenta a se esse observata indicat:

1) T. forte s. normale, quod prae se ferat faustam evolutionem partis physicae et psychicae, vires suas noverit, externisque momentis nocivis difficultur afficiatur.

2) T. rude, athleticum s. Boeoticum: corpus solidum torosum difficile ad actiones impellitur; mens hebet.

3) T. vividum, magna mobilitate et receptivitate excellens, facultatibus corporis et animi secundis.

4) T. inquietum: eximia mobilitas corporis prospere evoluti; dotibus mentis exiguis.

5) T. mite, placidum: somatica parte me-

diocriter vel parum evoluta; psychica quieta quidem, sed vigente.

6) T. lentum vel phlegmaticum, in quo vita cum physica tum psychica hebeat et labeat.

7) T. tenerum, timidum, hypochondriacum: corpore sensibili parum évóluto, in animum dominante.

8) T. melancholicum, demissum, moestum, in quo corpus animo sensibili superetur, saepe pervertatur.

Hanc divisionem cl. Rudolphi, etsi magni ducendam, neque dubitandum esse puto, quin omnes hac complexionibus in natura prostent; tamen non omnia temperamenta satis excusa esse dixerim; nam genuinum melancholicum in divisione oblata abesse videtur. No. V. VII. VIII. eo differunt a melancholico; quod pars corporea in iis non satis est evoluta. No. VII. VIII. a cl. Rudolphi nimia subtilitate sunt separatae, praeterea pathologicam potius imaginem prae se ferunt, quam physiologicam. Ceterum No. I respondet complexionibus cholericae, No. III sanguineae. No. II est temperamentum species, quae adhuc proprio quodam typo est praedita, saepe apud rusticos invenitur et phlegmatico appropinquatur, verum fibris rigidioribus praedita.

Complures difficultates obsunt temperamen-

tis cognoscendis. Optime quidem ad ea investiganda habitus et status materialis respiciuntur: nam qui e functionibus temperamentum vult explorare, facilius periculum erroris adit, nisi diutius hominem observat. Erratur a scrutatore in observatione actionum, cum corporis tum animi, si causas occasionales, hominem observandum urgentes, non satis respexit. Sic gentes phlegmaticae, in calidiores terras advenae, actiones vivaces edunt; aliae gentes fortes inertiae favent. Saepe inscio investigatori receptivitas vere magna hebere videtur propter consuetudinem individui. Major cautio adhibenda est in functionibus mentis et animi observandis. Quis ignorat, hominem sanguineum facile irasci, facile iram deponere? sed si continuo ad rixas capessendas stimulatus erit, certe in tali statu versabitur, ut cholericus appareat. Denique illa dissimulatio est respicienda; quae individuis quorundam ordinum ex more saeculi imperatur.

Quoad psychicam temperamentorum rationem, rei congruenter est monendum, ne significationes quarundam vocum confundantur, aut synonymae existimentur. Sic discrimen magni ponderis est interponendum inter naturam animi vel indolem (Naturell); inter temperamentum animi, et inter characterem mentis. In-

doles (ab in-olendo) vocatur is status animae, qui omnino dependet a somatica constructione, (ratione arbitrii non habita) actiones mutante et dirigente, neque conscientia respecta: indolem potissimum in belluis conspicimus, in tigride crudelem, in lepore timidam. Itaque in homine modo tempore infantiae, quo conscientia facti dormit, pura indoles invenitur. Temperamentum animi vero est ratio recipiendi et reagendi, quae quidem corporis constructione indicatur, sed etiam in conscientia individui versatur, neque autem voluntate dirigitur. At character mentis intelligitur esse talis status voluntatis, quo actiones secundum principia psychica, ab ipso individuo electa, diriguntur: hinc apparet, characteres saepe a temperamentis discrepare, ideoque tantum ab adultis hominibus, sui compositibus, obtineri, quia character est proprietas mentis a vinculis corporis et receptivitate animi soluta. Infra igitur, ubi de morbis, e varia temperamentorum conditione oriundis, verba fiunt, characteribus amplius non respectis, nonnisi de temperamento animi sermo habebitur. Saepe inveniuntur, qui certis temperamentis, iisque meris instructi, tamen actiones patrent his incongruas, quin sibi invicem non convenientes, quae obliquitati cui-

dam ingenii (Laune) et affectioni morbosae nervorum sunt tribuendae.

Quaerentibus, num aliud temperamentum in aliud possit mutari, non uno modo physiologi responderunt. Quum complexiones potissimum pro solidarum partium conditione variant, quaerendum est, quanto temporis spatio solidae partes mutari possint? id vero tanto tempore efficitur, quanto alia vitae aetas distat ab alia: et re vera consecutio temperamentorum aetatum vicibus congruit, sic infantilis aetas phlegmaticae complexionis respondet; adolescentia sanguinicae; aetas virilis cholericae; senilis melancholicae. Verum repente temperamenta variare non valent; quod si ita res sese habere videtur, nihil est aliud, quam functionum alacritas aucta aut minuta, non continuo aequa, sed causis occasionalibus conveniens, non viribus.

Quantumve diversa inveniatur crasis, constat tamen, nullam complexionem ab initio extra fines bonae valetudinis esse positam, quia, etiamsi aliae partes praevaleant, aliae superentur, tamen ratione functionum haec differentia corrigitur. Verum certe, causis occasionalibus nocivis ingruentibus bona valetudo saepe cedit: tunc temperamenta processus morbosos inchoantes certo modo dirigunt, ita ut initia, de-

cursus, characteres, complicationes, exitus morborum crasi destinantur, quod sequentibus pagellis adumbrare conabor.

Ne nimis diu in re, scrutationibus cl. medicorum illustrata, commorer, hoc tantum allegabo, omnium actionum causas in eo esse positas, quod aliae partes organismi in quodam statu tensionis vitalis cum aliis versantur, quae tensio, si exaequatur, actio proditur, proditamque actionem sequitur quies partium antea vicissim tensorum. Hunc processum intelligendum, in regno naturali anorganico adjuvat columna Galvanica, cujus altera species metallorum alteram versus tenditur, postquam fluido quodam communi oxydante sunt tactae. Sic in organismo metallorum partes aguntur omnibus partibus, quae in ea conditione diversa sunt, quam heterogeneam dicimus. Ut in columna voltaica variis metallis varii gradus tensionis provocantur, sic etiam in vivo corpore alia systemata alias conditiones tensionis ineunt; neque vero ullae partes, quam parum vis heterogeneae, inveniuntur, quin et hac invicem tendantur, ita ut imago organismi talis possit delineari, qualem exhibeat columna Galvanica princeps, quae multos ramos emittat, qui ramis secundariis sint instructi, et sic porro ramificationibus multifariis, ramis terminalibus pae-

ne sese tangentibus. In huiusmodi columna tensio fit non solum inter centrales partes et periphericas, sed etiam vicissim inter omnes periphericas: imo locus non invenitur carens mutua tensione. Hanc naturae legem, quae polarisatio vocatur, in vivo corpore observaturo, systema nervorum princeps offertur, quum non solum psychicae vitae sit praefectum, sed etiam omnium corporearum functionum particeps, sensationes enim perficit, partes contractiles incitat ad motus perficiendos, vitamque vegetativam dirigit. Cum systemate nervorum duo alia communicantur ad vitam agendam: sphaera vegetativa adest ad penum materialem procreandum, ex quo tensio polaris sustentetur, qui vero penus quum initio rudiore natura sit praeditus, organis sphaerae irritabilis, praesertim pulmonibus et vasis sanguiferis generosior redditur. Hanc vicissitudinem inter omnes partes organismi contemplanti, sponte in mentem veniet, eos errare, qui temperamentum ex una tantum corporis parte manare opinentur.

De temperamento phlegmatico.

Synonyma: T. infantiae, Boeoticum, Germanicum, debile, frigido-humidum, lymphaticum,

laxum, kaltblütiges, schwaches Temp. Haec complexio ad ceteras minimam differentiam partium et telarum constituentium ostendit. Solidae partes laxae, multo humore, parum elaborato, permixtae. Itaque hujus naturae corpora minimam vim polarem procreant. Tela cellulosa omnibus partibus larga immixta, multa pinguedine comitante; ossa sunt magna, crassa, informia, succosa; apparatus ligamentosi, cartilaginei et tendinosi crassi, submolles, succosi, itaque articuli tumidi; fibrae musculares pallidae, laxae, tenues, sed toti muscoli fiunt grandes multà materià cellulosa interjectà. In systemate nervorum ganglia nervis animalium provinciarum praevalent; substantia grisea non valde discernitur ab alba, cerebrum non eximio est ambitu. Fibra cordis et arteriarum pallida, laxa; venae arterias antecedunt, venas vasa lymphatica aequant. Membranae mucosae pallidae, crassae, large secernentes. Omnia secreta aquosa. Pulmones lividi, hepar voluminosum, sed vasis lymphaticis abundans et bilem dilutam secernens. Sanguis atrorubens, aquà et albumine parum generoso abundans, cruore et fibrinà egens; qui arteriis continetur, paulo laetiores colorem induit, quam qui venas percurrit.

Ex hac natura partium constituentium ha-

bitus facile conjicitur, sunt enim corpora altero casu grandia, voluminosa, altero parva, crassa laxa, artubus teretibus informibus, articulis crassis. Omnes processus obtusi et rotundati. Cutis laxa, crassa, spongiosa, pallida vel parum rubens, humida, subfrigens, folliculis sebiferis abundans, velut oleo inuncta. Caput crassum; capilli flavi, recti, frons non altus; Oculi pallide coerulei vel grisci, tarde moventur, languent; aures magnae, nasus carnosus; labia mollia, pallida, turgentia; malae subinflatae, maxilla inferior robusta. Vultus paucis tantum lineamentis notatus, iisque non insignibus. Abdomen ob magnam vim vasorum lymphaticorum incrassatum. Talis habitus lymphaticus nominatur. — Propter exilem differentiam inter telas tensio polaris invenitur invalida, quumque sanguis, praecipuum incitamentum internum, parum sit elaboratus et cruor oxygenio egeat, nervorum receptivitas et actionum alacritas habeant necesse est. Negari quidem non potest, quin vis reproductiva complexionis phlegmaticae ceteris sphaeris praevaleat; sed errore hinc concludimus, propter majorem penum materiae energiam majorem fieri; neque enim quantitatem energia sequitur, sed gradum elaborationis, et vis reproductiva in phlegmatica crasi magis extensive agit, quam

intensive, itaque tela cellulosa copiosa nascitur cum pinguedine, fibrina vero, generosior penus vitalis, parca existit. Ergo in phlegmatica complexione receptivitas et energia ambae hebet, eo quidem modo, ut mediocria incitamenta prope nullam provocent sensationem, fortia non validam quidem reactionem, verumtamen satis diurnam: nam quia pauciora pro hoc temperamento adsunt incitamenta, idcirco adversus singula diutius agere valet. Ergo quoad corpoream partem phlegmaticus sensibus minus acutis instructus, facilius quam sanguineus et cholericus stimulos dolorificos patitur, iisque affectus vehementibus gestibus non utitur. Cor invalide contrahitur, modo raro, modo frequentur; pulsus ob exilium tonum vasorum mollis. Aër rarior in pulmōnes ducitur, sanguis rarior per pulmōnes currit, eo minorem oxygenii quantitatem adtrahit, hinc minorem procreat calorem animale, minusque vasa irritat. Motus artuum et oculorum tardi, sicut motus peristalticus tibi intestinalis. Maxime in toto corpore efficax est vis reproductiva, verum imprimis tantum ambitu. Concoctio sit lenta; saliva, succus gastricus, entericus, bilis, mucus, magna quantitate secernuntur, verumtamen sunt natura aquosa. Receptivitas hebens et energia labens facile imaginem vitae psychicae

delineare permittunt. Incitamenta animum vel minime tangunt, vel lente recipiuntur, recepta vero actiones tenues, mediocres, debiles provocant, neque vero semper breves, sed perseverantes interdum. Vires psychicae in universum omnibus in temperamentis tres modos agendi ostendunt, unum, facultatem recipiendi vel animum (Gefühl, Gemüth); secundum, facultatem cogitandi, et procreandi, vel mentem (Verstand), cujus functio praecipue eo consistit, quod signa quarumcunque rerum pro varia eorum dignitate colligit, et inde imagines sibi fingit, quae notiones (Begriffe) dicuntur: his notionibus binis per copulam conjunctis fit iudicium, et e iudicatis, certo modo comparatis, conclusiones emanant. Tertia vis vitae psychicae est voluntas, vis extrorsum reagens, quae irritabilitati corporeae partis respondet. Harum trium facultatem naturam in phlegmatico temp. observantibus, animus ostenditur semper aequus, lentus, torpidus, imo saepe immisericors, ingratarum affectionum rarissime particeps, quietis amans. Mens doctrinae atque eruditionis parum capax, etiam parum cupida, diligentibus attentionibus non accommodata, memoria parum tenax, attentio hebes, notiones paucae, et materiales res quae transcendunt, saepe mente non capiuntur. Iudicia tantum

materiales res spectant; cogitationes in minorem gyrum contractae, hinc interdum magis elaboratae, sed non profundae, et quum phlegmaticus cogitandi munere non admodum libens fungatur, difficile eum meliora edocebis, si quaedam perversa mente contempletur. In rebus divinis alienarum opinionum patiens; a sua vero non avertitur, si quam habet: saepe enim plane indifferens apparet. Voluntas arctis finibus circumdatur, ampla munera administranda non petit, gloriae et laudis parum appetens, ad materialia commoda dirigitur, quorum ope animo et corpori quies paretur. Itaque omnes facultates torpent. E tali conditione complexionis fere hi status pathologici oriuntur: Quoad materiam, character laxitatis offertur, morbiq; e laxitate oriundi ostenduntur. Quoad vires, respectu celeritatis, propter receptivitatem exiguam, torpor apparet; respectu fortitudinis et constantiae actionum, ob energiam minutam adest proclivitas ad atoniam. Ergo in universum ad chronicos morbos multo major diathesis offertur; acuti si existant, ad lyses tendunt et chronicos decursus, vel ad adynamiam. Morbi febriles rariores, rarissima genuina synocha. Ad febres nervosas in universum minor adest proclivitas ob sensibilitatem hebetem; si vero homo acrius oppugnetur no-

xiis, tunc amplius resistere non valet, et febris nervosa lenta nascitur, cujus prognosis ob torporem et aequum decursum meliorem spem vitae conservandae praebet; sed ob crises minus regulares minusque perfectas, ob debiliores reactiones, celerem reditum bonae valetudinis vetat sperare, et quidem stadium reconvalescentiae valde protrahitur, paralysibus, laebe sensuum et musculorum, abscessibus lymphaticis, turbatur. Ipsae synochae in febres adynamicas nervosas transeunt. Ad putridas febres, si constitutio epidemica iis favet, phlegmatica complexio maxime omnium est accommodata, quae febres quum laxitatem et atoniam jam in dispositione inveniant, symptomatibus colliquativis ad perniciosum gradum perveniunt. Ad gastricas febres strictiore sensu (ad febres quae cum vitiiis in secretionibus et excretionibus organorum abdominalium conjunguntur) lymphaticum temp. est proclive, quatenus vitia concoctionis (statu bilioso excepto) crebra occurrunt, quorum vitiorum conditio mox uberius tractabitur, ubi etiam febrium intermittentium mentio fiet. Ceterum morbi abdominales in hoc temp. saepius febribus vasorum carent, ob sequiorem evolutionem systematis vasculosi. Sic helminthiasis saepius observatur, quam febris verminosa, polyblennia saepius quam febris pi-

tuitosa. Inflammationes raro characterem arteriosum, genuine sthenicum, prae se ferunt, ne venosum quidem; sed lymphaticum; ideoque exitum in gangraenam, paralytin, suppurationem minus amant quam in exsudationes serosas, pituitosas et aquosas; crises non accurate typum dierum sequuntur, et saepe fiunt incompletae. Morbi catarrhales saepissime observantur, neque ea causa solum, quod membranae pituitariae lege normali largas secretiones praebent, sed etiam ob laxitatem cutis, quae noto in antagonismo cum tunicis mucosis versatur, et propter atoniam vasorum spiraliu crebro impeditur quominus rite excernat. Praeterea sanguis albumine abundans blennorrhoeas sustinet. Rheumatismi ob eandem laxitatem cutis, si exstiterunt, pertinaces sunt, et chronicam formam induunt, febre comitante carent. Ceterum rheumatismus simul quadam sensibilitate nervorum cutaneorum provocatur, et hoc respectu laxo temperamento non major diathesis quam ceteris tribui potest. Apparatum assimilationis contemplantibus fere maxima facultas morborum provocandorum offertur. Cavendum vero est, ne intelligamus, in quocunque phlegmatico necessitudinem proclivitatis adesse; quam autem dispositionem organismus nanciscitur causis occasionalibus saepius ingru-

entibus. Fibras musculares intestinales laxas esse et motum peristalticum lentum, jam supra compertum est: homines hoc temp. praediti, libenter epulis et inebriationi sese dedunt, voluptatibus favent, atqui infertio canalis intestinalis officit chylo perfecte elaborando, itaque major sed rudior copia chyli villis imbibitur. Residua ciborem diutius commorantur et ad indigestiones, acozem, saburram, flatulentiam ansas praebent. E magna copia mucii, chyli non absorpti, organismi alieni, infesti, vermes nascuntur, qui ob inertiam tubi, bilis naturam parum irritantem, non remonentur, copiamque ad corpus nutriendum idoneam, subtrahunt. Chylus male elaboratus, postquam per ductum thoracicum in venas pervenit, sanguinem aquosum tenuem, vi plastica carentem, mutatur; solidae partes inde formatae, exiguo tono sunt praeditae, quin materies in propria vitia incidit, quae proximas causas cachexiarum, quae dicuntur, offerunt. Cachexiae enim tales morbi chronici mistionis sunt, qui praesertim malo habitu manifestantur; si vero in temperie corporis alienata habitus adhuc satis valens servatur, adest dycrasia quae dicitur. Sic e plasticitate sanguinis nimis minuta prodit in virginibus adolescentibus chlorosis, in utroque sexu existunt obesitas, polyblennia, helminthiasis, hydrops

morbi glandularum lymphaticarum. Humores corrupti in cute vias sibi eligunt, quibus removeantur, jam initio comedones apparent, tunc impetigines efflorent, quarum natura scrophulosa saepe cognoscitur. Laxitate et atonia vasorum in inferioribus corporis venis sanguis stagnat, qua de causa primum in pedibus oedemata frigida, varices venarum, deinde in intestino recto haemorrhoides idiopathicae passivae apparent. Caeterae haemorrhagiae nisi passivae non observantur. Blennorrhoeae creberrimae ex omnibus membranis mucosis, atonico caractere. Ad retentiones secretionum et excretionum laxum temperamentum parum est proclive ob copiam humorum. Morbi nervorum functione depravata hoc temp. parum videntur. raras dysaesthesias, rariores spasmi. Paralysis interdum febres lentas sequuntur. Febres intermittentes, quae a multis morbi plexuum gangliorum habentur, saepe hos homines urgent et pertinaciores manent, quae proclivitas forsitan hebetudini gangliorum est tribuenda, qua fit, ut potentiae noivae arceri non possint. Restat, ut morborum sensus interni fiat mentio; sed quum homines hac complexione praediti difficile afficiantur, vereri non debent, ne quaedam functio psychica alias nimis superet: itaque ad summum universalis labes totius

mentis, hoc est stupiditas, occurrit, quae febrium nervosarum aliorumque morborum vires exhaustientium sequela existit, aetatemque senilem comitatur.

De temperamento sanguineo.

Synonyma: t. adolescentiae, Gallicum, Lydicum, mobile, calido-humidum, molli, tene-
rum, leichtblütiges Temp.

Complexio est talis, ut solidae partes non admodum largae ostendantur, fluidae copiosae et mediocriter elaboratae prostent. Minor laxitas adest, quam in praecedente temperamento, et major dignitas telarum, nam contextus cellulosus et pinguedo sequiores partes agunt, fibra animalis jam altius fastigium tangit, verum adhuc gracilis est et tenera. Partes validiorem tensionem polarem possunt inire, quae tamen diuturna manere non valet. In specie partes hoc modo sese habent: ossa gracilia, tenera, succosa, parum firma, cartilagineae succosae, valde elasticae, subincrassatae, ligamenta tenuia, articuli satis subtiles. Fibra muscularis laete rubens, sed adhuc tenera neque autem vere laxa, nam tela cellulosa in spatiis non admodum larga: hinc crassities musculorum exigua. Systema nervorum ad volumen feliciter

evolutum, vasis sanguiferis copiosis instructum. Cordis et arteriarum parietes tenues, fibrae tenerae, elasticae. Arteriae supra venas principatum obtinent, vasa lymphatica non admodum larga. Membranae mucosae rubentes, tenues. Pulmones rubicundi; jecur parvum, bilem lucidam, tenuem, aquosam parans. Sanguinis copia excellens, color vivide ruber, etiam sanguis venosus satis laete rubens. Cruoris magna copia adest intime oxydati, fibrinae vero satis exigua, ita ut sanguinis plasticitas non admodum magna sit, et sanguis adhuc tenuem naturam prae se ferat. Ideo crassamentum sanguinis mediocre, molle, crusta pleuritica parum tenax.

Corpus sanguineum gracile, apta longitudine, articulis satis teneris, artubus teretibus subtenuibus, angulis et processibus leniter rotundatis, non tamen obtusatis ut in phlegmatico temp. Cutis tenuis, panniculo adiposo non admodum crasso, multis vasis sanguiferis roseo colore infecta, humido-calida, turgore vitali vigente. Caput subelongatum, partibus in bona proportione versantibus. Capilli tenues, recti, subfusci. Oculi coerulii vel haddi, mobiles, miti fulgore. Aures parvae, labia turgentia, rubra. Malae ita expletae, ut neque crassae, neque macilentae appareant. Vultus paucis lineamentis notatus, pluribus tamen, quam

in phlegmatico, et quum anguli ossium sint obtusati, scrobesque mediocriter expletae, gratiam quandam forma exhibet et foemineo sexui praesertim impertitur. Collum subelongatum, humeri parum distant, thorax subangustus.

Vis tensionis polaris, quae inter varias partes exstat, altius quidem tollitur, quam in phlegmatico temp. ob majorem partium differentiam, quae vero quum nondum adeo sit elata, energia imo est invalida. Sed in systemate nervorum facile recipiendi adest potestas, quae sanguine bene oxydato continuum stimulum accipit, ut celeritas actionum eam in cholericis aequet; quum verum fibrosae sanguinis partes non ita magna plasticitate sint praeditae, ut corpus vigoroze nutriatur, solidae partes corporis tono vacant, et actiones facile vim deponunt. hanc rationem, quae inter receptivitatem et energiam intercedit, simul e relatione pulmonum ad jecur explorare licet. Pulmones sunt organa consumptionis, quia magna copia substantiae organicae ex iis evehitur oxydatione, quamvis negari non potest, sanguinem hoc processu generosiorē reddi et supervacaneum carboneum emittere: hanc magnam jacturam elementorum in processu cremationis penus substantiae organicae valde minuitur, sed processus vitalis incitamento oxygenii adducti rapidior

progreditur, et functiones alacriores fiunt. Altera vero parte, in hepate, fit decarbonisatio, vel mediata oxydatio, secretionem fellis, qua organismus multo minorem quantitatem substantiae perdit, verumtamen eundem scopum, elaborandi sanguinis, tangit. Decarbonisatione energia et penus augentur quidem (quia sanguis melior redditur), sed ea non adest celeritas actionum, quia oxygenium deficit. Itaque vita pulmonum (vel idem aliis verbis dictum, frequentia respirationis et pulsus cordis) in contrario vice versatur cum vita jecoris, vel decarbonisatione; illa, respiratio, celeritati functionum et receptivitati communi respondet, haec, decarbonisatio, perseverantiae et energiae. Ergo in sanguineo temperamento magnam receptivitatem et celerem sensationem observamus, hinc reactiones cito prosiliunt, quum vero energia labeat, mox strenuitatem deponunt, praesertim quia etiam novi stimuli continuo adveniunt, quos omnes organismus percipit. Ita perpetua mobilitate hoc temp. insigne. Sensibilitas et irritabilitas aequales sunt, reproductionis dignitas iis posthabetur. Musculorum motus veloces, sed parum validi, ingressus naturalis, levis gracilis. Secretiones non parcae, secreta non admodum saturata.

Quali modo somatica pars complexionis

sanguineae agitur, tali etiam psychica fluctuat, facile omnia incitamenta percipiuntur, levis tantum fit in ea reactio. Quia diutius in unum eundemque stimulum energia non agit, desiderio novorum stimulorum homo capitur, quae nisi offeruntur, odioso otio cruciatur; novis oblatis antecedentia oblivioni dantur. Facile ad misericordiam agitur homo, facile promittit, saepe vero post breve tempus repetere nescit, quid dixerit. facile irascitur sed nemini succenset; vindictae studium non retinet, quia energia non in longinqua tempora reservatur. Itaque nisi repente ultus est, inimicus ab eo tutus, imo inimicis plane caret. Voluntas res quam plurimas appetit, quas omnes consequi studet, sed nisi primis horis nactus est, cupere desinit. Mentis actiones celeres, facile notiones capiuntur, facile et rapide judicia feruntur, felicem indolem naturalem indicantia, verum in res quae intentionem mentis postulant, sanguineus vim iudicii invitatus intendit et doctrinae transcendentalis plane expertus invenitur. Ceterum facetiarum largus inventor et quidem ludibundarum, rarius mordacium. Ergo in universum dotes ingenii secundae sunt nuncupandae, et vita gaudiis abundat.

Proclivitas physiologica temp. arteriosi ad morbos nascendos late in omnes sphaeras exten-

ditur. Magna sensibilitate stimuli nocivi facile ad perceptionem perveniunt et non solum cum ceteris nervorum provinciis vi polari consensuali communicantur, sed etiam systema vasorum in statum activiorem vocatur. Vera hypersthenia non est extra fines hujus temperamentum, sed energia celeriter exhauritur et erethismus remanet, cum irritabilis, tum nervosus. Torpida sthenia hoc temperamentum vacat. Erethismi duae varietates morbis progredientibus tandem cum atonia et laxitate conjungi possunt; in universum autem acutus morborum character frequentior observatur. Febres frequentes corpus urgent, saepe tantum orgasmi, i. e. tales commotiones vasorum, in quibus vita sanguinis et vasorum non est mutata sed tantum acceleratio functionum adest, quae causis occasionalibus remotis sedatur. Synocha plerumque inflammationes comitatur; febres nervosae non rarae adsunt, cursu valde mutabili, vitae saepe magnum periculum offerunt, congestionibus, deliriis ferocibus, doloribus, spasmodis, conjunguntur; reconvalescentia saepe dyesthesiis turbatur. Februm gastricarum strictiore sensu parca praebetur facultas ob vivas functiones tractus intestinalis; ob hepatis dignitatem sequiorem rara invenitur febris biliosa; frequentissima adhuc febris gastrico-venosa observa-

tur. Ad genuinas inflammationes propter plasticitatem exiguam sanguinis non magna adest opportunitas, maxima adhuc ad pneumonias, quia magnum sanguinis volumen in thoracem non admodum magnum saepe congeritur. Systematis sanguiferi eximia evolutio magis extensive, quam vi plastica modum superante, normalem vitam excedente, manifestatur, itaque potius volumen sanguinis e norma excedit, quam vis plastica: hinc a pueris corpora congestionibus activis maxime variis urgentur, initio caput tendentibus, quae ubi pubertatis aetas convenit, thoracem petunt; virili aetate abdominis vasa nimis implentur; senili rursus sanguinis impetus caput versus ruit. Ideo varias aetates sanguinei corporis variae haemorrhagiae comitantur. Cordis palpitatio saepe fit morbosa, observantur epistaxis, haemoptoe, proctorrhoea, vomitus cruentus, apoplexia sanguinea, asthma plethoricum, deliria et spasmi e congestionibus. Mentio hoc loco facienda est duarum varietatum constitutionum, quae ad congestiones sunt proclives, quarum altera, florida quae vocatur, insignis est corpore gracili, angusto thorace, longo collo, humeris approximatis, cute rosea; facies ad exilia incitamenta rubore arcto in malis apparente tingitur; altera

varietas habitus apoplecticus dicitur, corpore valido, quadrato insignis, ad sthenicam apoplexiam proclivis est capite crasso, collo brevi, crasso, thorace voluminoso, sanguinis abundantia. Blennorrhoeae, vel acutae vel erethicae interdum partes haemorrhagarum suscipiunt. Retentionum notabilis conditio non offertur. Rheumatismi si existunt, quod ob sensibilitatem cutis non ita raro occurrit, facile nervosam formam induunt. Ad cachexias complexio sanguinea parum propensa, quia partes in universum satis bona gaudent natura, et elementa celeriter commutantur. Impetigines rarius cutem afficiunt, sed minor adesse videtur immunitas exanthematum acutorum. Notanda in hac complexione est varietas proclivitatatis ad scrophulas, quae erethica vocatur; imo haec proclivitas pertinet ad phlegmaticam crasin, sive aetatem infantilem; sed etiam puerili et juvenili progredientibus perdurat. Tunc habitus talis redditur: color cutis albus, repente in amoene rubrum transiens, dorsum nasi dilatatum, labium superius tumidum, caput medio-crem magnitudinem superans, articuli tumidi; actiones admodum vividae. Ad febres intermittentes congenita proclivitas desideratur certe; sed si adfuerunt, saepius reverti consuetae sunt propter gangliorum sensibilitatem. Quoad

morbos nervorum chronicos, dysaesthesiae cerebrae observantur in organis maxime variis, imprimis congestionibus provocatae, ex eadem causa spasmi observantur, qui vero etiam primariae e systemate nervorum emanant. Morbi cordis, qui ad hyperstheniam et erethismum accedunt, non rari inveniuntur. Sanguinea complexio et vitio congenito et acquisito sensibilitatem ad talem gradum evehere potest, ut inde proclivitas paene morbosa oriatur, quam constitutionem sensibilem medici nuncupant, insignem oportunitate ad dolores et spasmos. Ea cognoscitur eximia gracilitate, vultu tenero subpallido, lineamentis subtilibus, oculis valde mobilibus, pulsu admodum variabili, animo sensibili subtili.

Proclivitatem temperamenti sanguinei ad morbos psychicos perscrutanti, a parte animi parum opportunitatis ostenditur, quia nullum incitamentum longius tempus influere valet. Ob eandem voluntatis inconstantiam morbi e depravata voluntate non occurrunt. Itaque sola mens affici valet, cogitationibus et iudicio perversis, quae depravatio cogitandi si ad res externas refertur, dementia vocatur, si ad individuum ipsum, moriae, stultitiae nomina accipit.

De temperamento cholericō.

Synonyma: Tvigoris, Atticum, Italicum, forte, calido-siceum, firmum, warmblütiges, starkes Temp.

Differentia partium constituentium in hoc temp. ad gradum quam altissimum evehitur, quantitate vero et volumine telarum non ita egregiis. Solidae partes magna cohaerentia sunt et firmitate, quae vero nondum ad rigiditatem aut fragilitatem accedunt. Humores bene elaborati aquosis partibus carent. Certe tensio polaris inter tales partes non nisi valida fit et efficax. Quae sunt telae inferioris dignitatis, quam minima quantitate prostant, ut textus cellulosis, qui etiam minore humoris quantitate pererratur, majoremque induit soliditatem. Substantia adiposa organismo cholericō primo ad spectu penitus deesse videtur, et quidem tantum paucis in locis aliquantulum ejus adest; in orbita, ad apicem cordis, in omento. Ossa mediocria, subtilia, firma, dura, hinc articuli formosi, et cartilagineae, tendines et ligamenta, quamquam satis valida, subtiliter sunt contexta, neque humoribus nimis impleta. Musculi tenacissimi, validi, mediocri crassitie, angulosi, atrorubentes, telâ cellulosa intertextâ parum conspicuâ, color musculorum atrorubens

magnum vigorem indicat, quod experientiâ et comparationibus animalium est compertum, neque vero a sanguine est derivandus, quo musculi imbuuntur, nam adsunt animalia rubro sanguine et alba musculorum fibra praedita. Systema nervorum in omnibus provinciis validum, praecipue in cerebro magno; neque vero idcirco medulla spinalis et ganglia parum exculta sunt. Substantia cinerea ab alba facile discernitur duritie et coloris vice. Cor in cadaveribus non ita magnum, sed fibris firmis densis, elasticis, saturate rubentibus. Venae arteriis fere aequales. Systema lymphaticum sequiores partes agit; membranae mucosae paucis et exiguis folliculis inspersae, sed vivide rubentes. Pulmones rubicundi, hepar magnum, multum fellis spissi saturati, fuscis vi viritante praediti, secernens. Sanguis satis vivide rubens, opacior tamen, quam in sanguineis, satis oxydatus, fibrinâ et albumine abundans, aquâ carens. Venis emissus, crustam inflammatoriam spissam prodit, difficilem ruptu et sectu, placentam sanguinis duram, magnam ad quantitatem seri sanguinis.

Habitus corporum cholericorum fere talis offertur: corpus saepe macrum, artus non admodum voluminosi apparent, verumtamen validi, formosi, angulosi, torosi. Articuli elegan-

tes. Ceterum processus ossium qui cuti approximati sunt, angulosam formam externam produnt: sic mentum subacuminatum, nasus aduncus. Cutis flavo-helva, arida, calens, tenuis; ubi supra ossa tenditur, albescens. Caput mediae magnitudinis, ovoideum, ad mentum attenuatum propter parvam maxillam inferiorem; frons altus; capilli nigri vel fusci, crispi, elastici; oculi nigri fuscive, fulgentes mobiles, et eo modo plerumque palpebrae distant, ut fere sclerotica sub margine inferiore corneae adpareat. Aures formosae, parvae, nasus aquilinus saepe, subtilis, elegans. Labia parva vel mediocria. Malae tenues, vultus lineamentis acutis et insignibus notatus, praesertim ad nasum. Collum brevius quam longius, nucha valida, humeri distantes, thorax amplus.

Tensio polaris in cholericis ob eximia discrimina, quae inter omnes partes intercedunt, altissimum gradum obtinet, maxima vero in toto corpore tensio adest inter partes systematicis nervorum, quarum princeps est cerebrum. Sanguinis arteriosi natura ab ea venosi jam multum secedit, hinc magna tensio polaris inter utrumque fluidum, ex qua circuitus levior et celerior redditur. Eo, quod sanguinis cruor bene oxydatur, omnium functionum celeritas adjuvatur; nervique continuo incitantur. Pro-

pter sanguinis dignitatem, quia fibrinâ bene elaborata abundat, nutritio validior viget, et energia e meliore penu altius evehitur. Si tantum pulmonum functio vigeret, consumptio fieret major, quia respiratione multa elementa subtrahuntur; sed altero in polo systema venae portae et hepar vegetam vitam ostendunt, materiamque ita elaborant, ut sanguis a carboneo supervacaneo et hydrogenio liberetur, majoremque dignitatem nanciscatur; neque vero simul processu cremationis tantum materiae vitalis amittat, quantum in pulmonibus. Vis reproductiva non avida magna spatia implendi, sed quae formantur, sunt firma, generosa, solidiora: ergo intensive materia sustinetur. E supra memoratis praedici potest, regna sensibilitatis, irritabilitatis et reproductionis aequae vigere, quod ita etiam evenire docuit experientia. Ratio incitabilitatis talis est, ut jam mediocres stimuli vivam sensationem oriri jubeant, eamque celeris reactio sequatur, valida quidem, sed quum continuo nova incitamenta immineant, non admodum longe perdurans.

Dolorum haec complexio est valde sentiens, ita ut totus organismus saepe inquietus agitur. Cordis palpitatio jam statu normali est valida, pulsus durus, plenus, frequens praeterca si adhuc respiratio celeris respicitur, non

mirandum est, elementa imponderabilia tanta quantitate gigni, motionesque tam validas fieri. Musculi celeriter et vehementer contrahuntur, hinc ingressus firmus et levis, motus intestinorum peristalticus alacer; secretiones et excretiones vegetae; secreta satis larga et elaborata, praesertim magna copia bilis paratur.

Psychica vita cholericus pari modo agitur magna receptivitate, magnâ energiâ. Quod ad animum attinet, cholericus facile irâ exardet, sed incitamento irae remoto facile lenitur, itaque offensoris precibus mox placatur. Adulatoribus favet, misericordiae non quidem expers, sed aliarum rerum assequendarum cupidus, non opitulatur, nisi iis quos sibi commodo et gloriae futuros esse sperat. In mente apparet magna alacritas: multae notiones, multa iudicia velocia, sed vera, exitia facultas similitudinum observandarum, facetiae et facundia. Quum simul conscientia suae praestantiae jam a parvulo adsit, quid mirum, adolescentem et virum, indigentiam energiae effundendae gestantes, ambitione quam maximâ agitari? Ergo omnium hominum sibi subigendorum cupido fovetur; qui resistunt victoribus, in odio sunt. Ad cupidinem gloriae implendam qualiacunque auxilia in usum vocantur, quo modo fit, ut cholericus illustrioribus aduleatur, quamquam invi-

tus, etiam divitias appetat, non quia earum sit amans, sed ut habeat, quo admirationem sui moveat, aliosque sibi subigat. Intelligitur, tam crebris ansis ad vias et commotiones animi oblatis, vitam cholericus non eximie felicem esse nuncupandam: praesertim molestiae ei exhibentur, si cum frigido inimico congregitur.

Proclivitate ad morbos hoc temperamentum est insigne, ob quam nonnulli etiam nomen complexionis nervosae usurpaverunt. Nam receptivitate auctâ multa incitamenta nociva ad sensationem perveniunt, et saltim molestias excitant, quin, si vehementius ingruerunt, turbidae reactiones sequuntur. Saepe quidem processus morborum brevi tempore finiuntur, quia vis medicatrix naturae validior est; sed reactionis primarias sine fausto successu praeteritas majus periculum sequitur. Morbi temperamenti cholericus characterem hyperstheniae induunt, qui demum exhaustus transit in erethismum, et cordis vasorumque, et nervorum. Alter character huic complexionis proprius, est biliosus, qui ad complures morbos accedere solet. Acuti morbi longe frequentiores dominantur, quorum symptomata ad summum vitae periculum, quin ad mortem perducuntur, sed crises perfectae esse solent. Etiam chronici morbi, qui vocantur, non raro rapide stadia percurrunt. Syno-

cha crebra observatur, ad omnes enim inflammationes congestiones et haemorrhagias sthenicas accedere amat; sed etiam simplex observatur. Nervosarum febrium organismus diu immunis manere valet ob vim internam; sed nervosae si apparuerunt, rapidae sunt, stadio paene inflammatorio inchoant, et deliriis ferocibus, convulsionibus, vehementibus doloribus complicantur; perturbationes criticae ad terribilem altitudinem perveniunt, saepe mortem advocant. Stadium reconvalescentiae non semper quidem est breve, sed persaepe corpus morbo extincto vel laetius viget. Inter organa abdominalia hepar partes longe primas agit, hinc nimia bilis secretio, quae febre vasorum adveniente febrem biliosam efficit. Febris pituitosa, verminosa, saburralis tantum eximiis causis occasionalibus provocantur.

Magnam dignitatem in proclivitate hujus temperamenti inflammationes obtinent, quarum vix unum organon immune habendum est. Magna sensibilitas ad cephalitidem, myelitidem dispositionem parat, magna sanguinis dignitas ad quamcunque aliam inflammationem, quae plerumque arteriosum characterem prae se fert, sed etiam biliosum, observantur enim cephalitides et pneumonia biliosae. Erysipelas et typhi biliosi saepe existunt. Properrimus eventus in-

flammationum est resolutio, quae tamen parum crebra est; saepius ob vehementium infl. paralytes, gangraena, suppurationes et tabes sequuntur. Catarrhi rariores sunt quam inflammationes completae tunicarum pituitariarum. Rheumatismi si existunt, acuti, febriles, inflammatorii apparent, perfectis crisis gaudent, neque chronicum decursum amant. Cachexiarum in cholericis organismis omnium minima adest conditio, etiam impetiginum nascentiarum minima adest facultas, quum materia quam generosissima elaboretur. Itaque ad profluvia contemplanda pervenimus. Ea in forma blennorrhoearum raro inveniuntur, quae si in conspectum veniunt, majorem vim debilitantem inferunt, quam in ullum aliud corpus, quod imprimis de diarrhoeis valet, quippe quae copiam albuminis contineant. Haemorrhagiae passim inveniuntur, nunquam atonico characterem ab initio praeditae, semper sthenico vel erethico, eodem characterem congestiones. Haemorrhoidum gignendarum minor facultas quam in sanguineo temperamento, quum massa sanguinis non sit admodum excellens, venarumque parietes satis validae sint ad sanguinem propellendum. Inter retentiones saepissime icterus observatur causis jam memoratis, porro calculi in vesica fellea. Februm intermittentium parum parti-

ceps est temperamentum cholericum, ob vim repugnantem gangliorum. Morbi chronici nervorum individua hac complexione praedita crebro vexant. Dysaesthesiis magna sensibilitas latam viam aperit, eadem proclivitas spasmis favet. Contra paralyses ob magnam receptivitatem paremque energiam organismum non afficiunt, nisi ex inflammationibus encephali et medullae spinalis, etiam apoplexiae sanguineae ansa praebita est. Inter vesanas mania creberrima observatur, quae e voluntate perversa, plerumque imperiosa, emanat, omnemque repugnationem furibunde remove conatur. Mania interdum cephalitidem infauste curatam sequitur, raro moria, quia in cholerico temperamento magna energia actiones semper fortes reddit.

De temperamento melancholico.

Synonyma: T. senile, Romanum, Anglicum, tardum, rigidum, frigido-siccum, venosum, schwerblütiges, schwerbewegliches Temperament.

In hoc temp. magna dignitas solidarum partium observatur, humores bene elaborati a solidis partibus superantur. Natura fibrae animalis jam ad rigiditatem accedit. Tela cellulosa spissa non larga adest, pinguedo talibus

corporibus parca obtingit. Ossa rigida, dura, densa. Cartilagine, articuli et ligamenta firma. Fibra muscularis rigida, crassa, pallens, valida, muscoli non admodum crassi, fibrae cordis et arteriarum pallidae, firmae. Arteriarum copia ea venarum longe vincitur. Vasa lymphatica non valde prolixè disserta. Pulmones violacei non voluminosi; hepar magnum, multum fellis atri secernens, systema venae portae valde extensum. Sanguis venis emissus parum seri ostendit, multum crassamenti violacei, solidi, tenacis, crusta pleuritica satis firma. Etiam arteriosus sanguis lividum ruborem ostendit, mox viscidus redditur et coit. Itaque plasticitas inest satis valida, sed oxygenium in pulmonum bronchia ductum, minus cruorem adit, quam fibrinam petit, et cruor carbone abundat.

Talis complexio, quae etiam atrabilaria nuncupatur, saepissime invenitur aetate proveciore et in maribus et in foeminis; habitus temperamenti ita describitur: Corpora media magnitudine, macilenta, artus solidi, musculis torosi, substantia rigida. Cutis sicca, frigens, tensa, lurida, ubi vasorum capillarum magna copia adest, subviolacea. Capilli crassi, recti, nigri, frons plerumque magnus, facies oblonga, oculi viridigrisci, glauci, languidi, inertes. Aures mediocres, labia tenuia exsanguia, malae flaccidae. Vultus fere semper tranquillus, neque tamen lineamentis firmis et rugis caret. Collum subelongatum, humeri approximati, thorax angustus.

Quum discrimina partium satis magna ostendantur, valida tensio polaris non extra facultatem organismi posita est. Sed quum cordis pulsus sit rarus, respiratio non frequens, pulmones exiles, et sanguis ita praecipuo incitamento organismi, oxygenio non abundet; functiones non admodum celeres fient; at diu-

tius poterunt durare quam in illo alio temperamento. Character incitabilitatis ideo componitur exigua receptivitate et majore energia quae diu reservatur. Omnes functiones exigua celeritate, sed regulari typo procedunt. Pulsus omnium temperamentorum rarissimus. Respiratio tarda, oxygenium aëris minus cruorem petit quam fibrinam generosiorum reddit, ita ut, magna jecoris activitate simul respecta, in aprico sit, magnum penum virium vitalium in organismo servari. Functiones psychicae eadem ratione, qua corpora, sese habent. Melancholicus, maxima animi acuitate praeditus, medicis stimulis haud commovetur; majoris dignitatis incitamenta ad perceptionem perveniunt, et commotiones diuturnas accessunt: sic ira, odium difficile concitantur, si vero existerent, diu reservantur. Perperam melancholicus rerum sublimium admirationis et amoris expertus esse creditur. Grata momenta parum valent in animum, quia non eximia esse solent, ingrata exilium initio vim exercent; sed in subgraviora continuo vis repugnatrix animi concitatur. Voluntas strenua ante finem propositorum tactum non quiescit. Maximam cautionem melancholici adhibent, ne in levitatem animi incidant, aut in inimicorum potestatem perveniant, quae cautio paulatim adeo crescit, ut ubique pericula sagiant, qui status nondum morbosus est dicendus, nam vires mentis simul maxima integritate florere possunt. Sic notiones adsunt multae et rectae; judicia lente feruntur, sed rem acu tangunt, quae fiunt conclusiones, profundam indicant meditationem, sagacitas ingenii res maxime universales explorare valet. At facietiarum non magna facultas. Morbi crasin melancholicam tangentes, lentam plerumque formam induunt, neque vero continuis reactionibus indigentem. Ad febres

exilis opportunitas, adgressae vero vitae magnum periculum creant. Syochae non admodum expediuntur, cum torpore ingrediuntur et periculosiores re vera sunt quam videntur. Inflammationum non tam magna facultas, sed major dignitas. Quum systematis nervorum ea pars quae incitamenta recipit, a potentiis noeivis adeo sit munita, causis magis internis morbi provocantur; praesertim in systemate circulationis via patet, qua organismus afficitur. Jam nobis sst compertum, pulsum cordis et arteriarum esse rarum, respirationem tardam, arterias venis quoad numerum longe superari et sanguinem arteriis contentum, ad naturam venosi accedere. Ideo inter sanguinem arteriosum et venosum minor tensio polaris viget, tunicae vasorum et vasa capillaria sanguine minus incitantur: hinc in nonnullis provinciis systematis venosi (praesertim in vena portae) stagnationes exoriuntur, venarumque dilatationes. Jam in quocunque homine venae abdominales omnium maxime ad stagnationes sunt opportunae, quae, quum sanguis adhuc in vasis carboneum liberum cum hydrogenio sponat, calculis obstruuntur. Atqui obstructions impediunt, quominus sanguis omnibus organo secretoriis impertiatur, et hac subtractione retentionibus dant causas praedisponentes, vi medicatrice una e talibus retentionibus arthritis nascitur, cujus proxima causa in stagnationibus propriis abdominalibus et plethora posita est. Februm gastricarum exilis facultas, sed eo saepius chronicae turbationes in functionibus abdominalibus observantur, quae februm naturae congruunt: sic pro febre biliosa polycholia ostenditur, pro syncho (Marcus) obstructions venarum, hepatis, lienis; et inductiones, icterus, calculi vesicae felleae. Si qua in abdomen agunt momenta sanguinem expan-

dendum juvantia, congestiones in haemorrhagiis transeunt, initio crethicas, mox passivas, tali modo vomitus cruentus conspicitur cum haemorrhoidibus, quae in hoc temperamento saepe idiopathicae existunt. Cachexiarum nascentiarum quaedam facilitas non plane distat ab hac crasi, quum prima fabrica substantiae organicae morbo facile afficiatur: sic hydrops observatur ex obstructione intestinorum et circulatione in venis impedita. Etiam alia vitia nutritionis sequuntur obstructiones, habitus macerrimus cum vultu misero. Sanguis in melancholica crasi nimio carboneo imbutus, a nonnullis etiam dyscrasia venosa nuncupatur.

Dyaesthesiis, paralysibus, spasmis, melancholicum temp. parum favet. Ad mixta pathemata quae dicuntur, longe major adest opportunitas, quam rationem pathologicam explicandam adjuvat contemplatio vicissitudinis inter cerebrum et systema gangliorum: nam gangliorum sensibilitas dum torpet, si in abdomine processus morborum exorti sunt, crebri functione per antagonismum erethismum induit, animus turbidis cogitationibus cruciatur. Itaque hypochondria prae omnibus systematis nervorum morbis occurrit. Hysteria autem non occurrit, nisi materialis, quae dicitur, quae naturam convenit cum hypochondria; nam immaterialis non in torpore intestinorum abdominalium posita est, sed in erethismo organorum genitalium. Morbi partis psychicae e cautione, quam melancholici adhibent, et longinqua duratione sensationum derivantur. Itaque talis vesania creberrima invenitur, quae e nimia cautione et diuturno timore oritur, et in pathologia nomen melancholiae obtinet.